



DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt


Digitalisierung von Drucken des 16. Jahrhunderts


**Iusta || DOCTISSIMO, ORNA= || TISSIMO, VITAE
INCVLPATAE, MO- || rúmque integritate praestanti,
& in artibus ac lin- || guis ...**

Wittenberg, 1598

VD16 ZV 8813

urn:nbn:de:gbv:3:1-237239





^{— XI.}
Iusta ^{LXVII}

66

DOCTISSIMO, ORNATISSIMO, VITÆ INCULPATÆ, MORUMQUE INTEGRITATE PRÆSTANTI, & in artibus ac linguis optimè versato viro,

DN. STEPHANO K. SIXOVIO, VNGARO, IN CELEBERRIMAM VVITEBERGENSIUM Academiam, augendorum studiorum causâ, Anno D. 1597, die 14 Martii concedenti; Anno verò subsequente 1598, die 6. Octobris, ad horam 11. meridianam, in Domino piè placidèque obdormienti, ibidemq; in cœmeterio Templi, ut vocant, parochialis, juxta tumulos reliquorum quatuor popularium, olim demortuorum, 8. die Octobr. honestè sepulto:

RECTORE ACADEMIÆ M. ANTONIO EVONYMO:
Senjore cœtus Vngarici, XLIX. BALTHASARE
G. MISCOLCINO:

Perfoluta ab

Amicis, & clarissimis viris.

Quibus accesserunt versus Epitaphii, à clarissimo viro, M. FRIDERICO TAUBEMANNO, Poeta & Professore facti, atq; ipsi lapidi sepulchrali insculpti.

Vnâ

Cum Intimatione Magnifici Rectoris.

VVITEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii.
M. D. XCVIII.

67

CARMEN FVNEBRE
IN OBITUM
STEPHANI SIXAI
VNGARI.

Ἦ.
H *Tsi Bistonis telis te terruit hostis:
Non tamen is vitam rescidit ense tu-
am.*
*Exanimis sed mors, nullo exorabilis auro,
Infixit membris spicula lenta tuis:
Viribus exhaustus tandem illi succubuiſti;
Mors, & dixiſti, me modò vicit iners.
Atropos immanis nam vitæ ſtamina rupit,
Moribus inſanis quæ populatur agros.
Parcere adhuc poteras juveni, fera triga ſororum,
Qui multos annos vivere dignus erat.
Sed quia ſic placuit, qui digerit omnia, Iovæ:
Non fas eſt vitæ de brevitate queri.
Certum eſt, in cineres corpus mortale reſolvi,
Sed tamen æternus non erit iſte cinis.*

Balthasar G. Miſcolcinus, *συμμοβητής ἡρώδης*
συμπατριώτης triftis F.

II.

 *Vem castis inimica seua Musis
Parca sub viridi solvit iuventa
SIXAI tumulo quiescit isto,
Pulchrum Pannonia decus iuventa,
Mores cuius erant pii, modesti,
Felix ingenium, tenens ad iugum,
Humana caput atque Christiana
Doctrina, fugiens vagos furores,
Quos fingunt homines nimis profani,
Contra Euangelium, sacras & artes.
Qui summo studio petebat isthuc,
Olim quo patriam iuvare posset,
Sano consilio, eruditione,
Exemplo melioris atque vita,
Hunc castis inimica seua Musis
Parca sub viridi solvit iuventa.*

Iohannes Iessenius à Iessen, Medicus E-
lectoralis, & Professor pub.

III.

M *Vnere si, Manes, aliquo gaudetis amici,
Neve rogam pietas, officiumque gravat:
Has urnæ lacrymas ferimus, tumuloq; recenti
Purpureas circum spargimus ossa rosas.*

A 2

Salvete

*Salvete innocui cineres, quibus otia, tanto
Exscidio ereptis, grata tenere datum est.
Tuq³, superstes adhuc cælo, Mens inclyta, salve,
Intuitu felix alloquioq³ Dei.
Quam sacer ordo tenet mediam, Superumq³ Senatus
Potantem, è vivo fonte salutis aquam.
Iamque vale, cineriq³ tuo levis urna parentat,
Dumq³ mali capiant premia, dumq³ boni.*

*Georgius Thurius, sanctæ recordatio-
nis ergò, mæstus F.*

IV.

SI mors æternus somnus, vel meta malorum
Ultima censetur, quî metuenda venit?
Non terret justos, lacrymarum valle sed ipsos
Transfert in rutili gaudia vera poli.
Sic etiam STEPHANVM, fuerant cui tempora lauru
Cincta Novenarum, sustulit ante diem.
Qui decus ut nostri fuerit cùm splendor & ingens
Pannoniæ: meritò spargimus imbre genas.
Dicimus & longo singultu hæc verba: quiescant
Tellure in facili molliter ossa viri.
Pulvere dum terræ Dominus clangore tubarum
Restituat veniens corpora casta piùm:
Et secum rapiens ad celsum hunc ducat olympum,
Æternæque bect prosperitate DEVS.

*Stephanus P. Rivulinus, Vng. amico suo sin-
gulari, mæstus F.*

V.

Anima defuncti ad corpus suum.

Solvimur, ah, nimic, properant quia fata, dolore:
 Ergo, meum CORPVS, pars mea chara, vale!
 At, licet in cineres redeas, reddenda parenti,
 Spes tamen est constans in bonitate Dei:
 Tempus erit, nam, quo rursus tibi jungar, & unà
 Conspectu Christi, colloquioque fruar.
 Te tamen interea sociorum cura reponet,
 Quisque vetent, Elegos, nomen obire, canet.

Petrus H. Zomberinus.

VI.

AEquè Libra dies anni diviserat, horas
 Quot dederat Phæbo, Cynthia totque tibi.
 Liquerat hæc eadem sine labe dolorèque menses,
 Quot tulerant docto maxima damna viro.
 Tempus & id prudens distinxerat, urbe manendum
 Leucoreâ, quantum viderat antè Sophos.
 Hæc ita jam justo partiverat ordine Libra,
 Restabatque dies, quâ moriturus erat.
 Ergò lance suâ cum jam dispesceret equâ,
 Atropos ad STEPHANUM talia voce refert:
 Sat bene vixisti: libra hæc impleta dierum.
 En hûc, quò cælis tu potiare, veni.
 Dixerat: extemplo STEPHANUS vestigia pressit:
 Nos mæsti gelido condimus ossa solo.

Paulus B. Göncius.

A 3 E1

VII.

εἰ ποτὲ θεοκτιτῶν πάντων μάλ' ἐφήμις θ' εἶναι
 τοῖς γονέεσιν εἴς τε ἡδὲ φίλοισι δοκῶ.
 ἢ διὰ πλὴν ἀρετῶν, χαλεπῶν πάντοσιν ἔδσαρ,
 ἢ διὰ πλὴν σοργῶν, τῶν τ' ἀγάπῳ μεγάλῳ.
 ὦ ΣΤΕΦΑΝ' ὡσὺ ποῖς ἐτάροις πῖσοῖς πεποκῦσιν
 εἶνεκερ ἀμφοτέρων ὠκύνωσ' ὦ πέλεια.
 αὐτὰρ ἐπεὶ σε θεὸς δώπων τῶν ζῆμ, τε θανῶν, τε
 ἔκκαλερ, οὐκ ἀρετῆ δ' ἀπολώλε τεή.

Perrus P. Alvinci Enicdinus.

VIII.

Qualiter in viridi florentia lilia campo,
Purpureasq; hortis vere tepente rosas,
Cum valido Boreas veniens Aquilone boatu,
Insolito flores tempore sternit humi:
Sic quoq;, SIXOVINE, tua sub flore juventa
Occidis, & grandem spem rapis ante diem:
Tu poteris patriæ studiis succurrere rebus,
Et mala doctrinâ multa levare tuâ:
At Deus è cursu studiorum penè tuorum
Te rapit, & Patriæ donat honore tua.
Sed bene: nam mundus quibus hic solet esse molestus,
Eripuit curis te, statuitq; polo.
Nos quoq;, tam variis curarum fluctibus acti,
Flectimus ad superas candida vela domos:
Tu tamen interea cælestia gaudia carpe,
Aeternumq;, Deo concinente melos.

Ioannes P. Szentpeterinus.

IX.

EXemplo monet hic STEPHANVS ZIKZOVI-
VS omnes

Ingenio felix & pietate sacer.
Haud bene, quòd liquidos nobis promittimus annos,
Cùm semper curæ tristitiæque premant.
At quis enim non mille dolores, aut mala portet?
Sed venit his prima luce suprema dies.
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Sistimur, & virtus altiùs ire nequit.
Nos rapit atra dies, & funere mergit acerbo:
Attramen æternus non erit ille sopor.
Sunt iterum nostræ reditura in corpora vires,
Membræque juncturis restituenda suis.

Demetrius Nadasdinus.

Sequuntur epicedia Doctorum, Professo-
rum, & Magistrorum.


X.

DUm populos alios, dum visitat externa regna,
Dumq³ bonis studiis se sine fine dicat,
Frigida SIXAUM consumsit & abstulit hydrops,
Ne possit patria commoda ferre sua.
Sæpe die media marcescere gramina cernes,
Et pulcros flores falce secante premi.

Sævit

*Sævit in humanis rebus violentia mortis,
Vim rigidi fati flectere nemo potest.
Qui castis precibus se Christo tradere novit,
Fataq; qui patiens ferre scit, ille sapit.*

VWolfgangus Franzius, S S. Theo-
logiæ D. & Historiarum Professor
publicus.



XI:

TE KONIAM STEPHANUM puto beatum,
Quem quondam viridi statim juventa
Abreptum voluere servituti
Immani & miseræ dicare Turcæ:
Cui nunc libero ab omnibus periclis
Turcas non opus est ut expavescas:
Et CHRISTUM, tibi qui tuendus antè
In verbo, speculo velut, dabatur,
Nunc coràm à facie intueris. Ergò
Te KONIAM STEPHANUM puto beatum:

Martinus Colerus
7. V. D.

Fallitur

XII.

F Allitur & fallit, vita qui credit inani,
 Inconstans, fallax, & breve vita bonum est.
 Sicut araneoli via, vita à limine surgit:
 Sicut araneoli tela repente cadit:
 Sic & amicitia mundi pars quanta fuisti,
 Nunc datur aethereo summa corona polo.
 Sic fuit in fatis. Ne tristia forte videres,
 Mortuus es. Reliquos multa pericla manent.
 Sic fuit in fatis. Ætas, STEPHANE, ista malorū est
 Ilias. heic veri vix data mica boni est.
 Hoccine num sentis, claris pomposa triumphis
 HUNGARIS ORA? dolor quàm nocet iste tibi!
 Na decus eximium raptum est hoc funere vobis.
 At dolor hic absit. Nam modò in arce poli est.

Iohannes V Verner, Medi-
 cinæ D.

XIII.

ὦ θάνατ' ὠμότατε; φρονέεις μάλα, δίκτυα πλέξας
 ευφύεσσι νέοις: ὦ θάνατ' ὠμότατε.
 ευφύεα ΣΤΕΦΑΝΟΝ ΚΟΝΙΑΝ ἠρπασαε ἀφ' ἡμῶν,
 ὁτι κερὸν θοράκοντ' ὄντ' ἄγανιπιδωρ.
 οἱ μὲν ἔεσκε φίλη πατρίε πολυλήθη δία
 πωννονίε ἠερατὴ κροστρόφου τ' ἀγαθῆ.
 ἐνθα ἢ ευτυχέως ἔμαθερ τέχνας τε γραφάε τε,
 ὅππῃ λευκορέης κλιτὰ λυκῆα πείλη,

B

κάτθαν: ἢ ὠκύμορος, τὸν δ' αὖτ' ὁ συμπατριῶτα,
ἢ δ' ἄλλοι ἕταροι κλαῖον ὀδυρόμενοι.
ἢ θάνατ' ὠμότατε: φρονέειε μάλα, δίκτυα πλέξασθε
εὐφρέσασιν νέοις: ὦ θάνατ' ὠμότατε.

M. Erasmus Schmidt,
Græcæ I. Professor.

XIIII.

Rebus in humanis incertum est tempore certo
Nasci, nec certum est cras hodiene mori.
Quin alius matris jam suffocatur in alvo,
Atque alius mortem, vix ubi natus, obit.
Sic etiam juvenis, doctrina cuilibet aptus,
E vita medi tempore floris abit.
Rebus ab humanis ablati, ad astra recepti,
Deseruit nimum terrea cœta citò.
Lege quidem mortis positâ sua pendere fata
Debit: at vitæ parcere Parca sua.
Sic Deus, humanas qui res procurat, & aufert
Iure, quod ipse dedit, consieri voluit.
Doctus & humanus Konias, gravis arte fideq̃,
Emeruit magnum post data fata decus.
Nam quia virtutis teneris studiosus ab annis
Exitierat, templum nunc is honoris adit.
Quin superum cœlum proprio sic flore coronat:
Ceu micat aethereo lucida stella polo.
Hac satis est terris memorare: loquetur honorem
Pannonicum fama cum meliore solum.

Balthasar Mencius, Nimecensis, Saxo,
M. Colleg. Phil. in Acad. VVittemb.

Versus Epitaphii

^a
M. FRIDERICO TAUBMANNO FA-
cti, atque lapidi insculpti.

HAc STEPHANUS, post fata, cubo SIXOVIVS urnâ,
Immò levis tantùm hic corporis umbra cubat.
Pars divina mei patriam remigravit a vitam.
Occlusum CHRISTUS morte reclusit iter.
Prada fui Turco, factus prada altera morti.
Id vidit presens, hoc bibit aure Parens.
Ereptus Turco, Patri reddebar. & olim
Ereptus morti reddar, ut antè, Patri.
Dum vixi, CHRISTO vitam Musisq; probavi.
Hisq; probè probus est, qui sua seq; probat.
Nec refert, quo quisque loco moriatur. ad astrum
Æqua via est. Æquè tu modò disce mori.

O B I I T

Die 6 Octob. hor. 11. meridianâ, anno
Christi 1598. Ætatis verò



B 2

RECTOR ACADEMIÆ VVI-
TEBERGENSIS, M. ANTONIVS EVO-
NYMUS, Carinthius, Ethices Professor
publicus.

Nostrorum hominum publico scripto obnunciare obitum,
& pro re quandoq; nata, non solum ut dicatur aliquid,
sed quò de rebus gravissimis commonefactio instituat,ur,
aliquantisper excurrere tralatitium est. Significandum igitur vo-
bis, post diuturnum ex hydrope lethali decubitum, nudius tertius,
qui fuit dies sextus Octobris, sub horam undecimam pomeridia-
nam, placidè hac vita exemptum esse, pium, honestum, tum eru-
ditum virum, STEPHANVM KONIA SIXAI, VNGA-
RVM, de qua Gente fortissima, regione fecundissima, prius-
quam ad rem deveniamus, quædam vos admonere, ipsa temporis
multiplex ratio, & præsens occasio, jubet. Ex interiore Scythia,
Gentem hanc initio pullulasse, per posteriores verò progenitores
ab Vnnis germinasse, ex historia notum est. Hæc Gothis ejectis,
Pannoniam, Illyricum occupavit, magnam Italiae partem, Germa-
niam, Galliam, tum Hispaniam domuit & evertit. Quæ & hodie
ad quantas etiam, Mahumeticæ pestis tyrannide, angustias reda-
cta, hosti tamen ferocissimo, formidabilis audacissimè resistit,
Patriam defendit, atque sic à nostris quoque cervicibus, aris & fo-
cis, mero divino auxilio, vim & metum omnem per tot jam annos
feliciter propellit: ita ut hoc corporis robore & tolerantia, hac a-
nimi fortitudine & constantia, Regni atq; dominatus continua
perpetuitate, cæteras Nationes omnes, multis parasangis superet,
& antecellat. Assyrii sanè, qui se primò regnasse gloriantur, exi-
guam Asiae partem tenuerunt, hos Medi exturbarunt, quorum
quoque regnum ad quartam vix progeniem, propagatum. Medo-
rum successores Persæ, universæ Asiae, quamvis infestata Europæ
parte,

parte, ducentos tantum circiter annos dominati sunt. Macedo-
nes fractis Persarum viribus, post Alexandri, Imperii auctoris, mor-
tem, secessione facta, amplissimum dominatum labefactarunt,
Athenienses oris tantum maritimis, intra pontum Euxinum, Pam-
phyliumque pelagus sitis, annos non plus sexaginta octo impera-
runt. Lacedaemones Peloponensium, reliquamque Graciam adepti,
imperium in Macedoniam usque protulerunt, mox tamen a The-
banis afflicti, ne triginta quidem annos regnarunt. Romani, do-
mitis Carthaginensibus, rerum potiti, diutissime universo Orbi,
quacunque adiri poterat, jura dedere, at horum potestas in nihi-
lum tandem redacta. Multa insuper regna alia integra & amplissi-
ma, unico saepe praelio devicta sunt, quo pacto Bulgaria & Servia,
fuso a Bajacete exercitu, nobilissima duo, unica die, capta regna.
Vngaria, divina protectione salva adhuc, cum ultra ducentos an-
nos, continuis Barbarorum incursionibus vexata, direptionibus
& incendiis afflictata, & nunc decennali bello miserè quassata, Chri-
sto unice defendente, & Rudolpho Imperatori suppetias sacro
germano Imperio ferente, stat adhuc, atque ut diutius contra fu-
rores implacabiles Turcicos & diaboli, organorumque ipsius ma-
chinationes periculosissimas secunda degat & consistat, serio invo-
candus & exorandus Deus est. Est tellus Vngaria, summa soli u-
bertate amoenitateque donata, coeli clementia, navigabilium flumi-
num & irriguorum annuum commoditate praestantissimis adnu-
meranda, imò & plerisque preferenda Europae & Asiae provinciis:
auri, argenti que solidissimi, purissimi que ferax: unde sal, uniones,
colores, & pretiosa effodiuntur alia, animalibus omnis generis fo-
cunda, vitibus nobilitata, & rerum omnium copia circum-
fluens, a qua soli ubertate, & pastorum Deo Pane Pannoniam ap-
pellatam, sunt qui existiment. Quod igitur Poenos acutissime
dixisse constat: Imbecilliorum agrum, quam agricolam esse debe-
re, id se sic hac in Gente habet, cujus ingenii acies, cum robore
certat corporis, & utrisque his populorum cedit nulli, ut quae libe-
ralis

ralis doctrinæ gloriam, linguarumq; varietatem cum armorum laude jungere consueverit, & cum bonis agris id commune habere, ut si aliquando Martis quàm Artis studiosior, majori tamen ubertate quietis gratiam referre soleat. Cumq; cætera omnia fortuita, virtutem solam nobilitatis titulo colit & æstimat. Quanquam etiam singulari Dei indulgentia & Præsidium cura, inter medios armorum strepitus, domi Scholas doctrinæ, pietatis, linguarum & artium ingenuarum palæstras obtineat satis commodas: visum tamen plerisq; inde usq; à perpurgata per Reverendum Patrem Doctorem Lutherum cœlesti doctrina, longo & tædiofo posthabito itinere, catervatim huc sese transferre, inceptum pietatis cursum decurrere, exorsam vitæ utilium artium telam pertexere, nulli molestos esse, sed summa quiete legibus obtemperare. Quo nomine Doctori Luthero, & Philippo Melanchthoni, tum ex ordine professorio cæteris commendatissimi singularem semper erga se benevolentiam experti. Hoc proposito ante annum & menses ferè septem in hanc commigravit defunctus Academiam, cum antè in Schola patria, deinceps Miscolcina, insuper Agriensi, & Patachiensi Gymnasiis, initia, tum progressus, in artium & linguarum studiis jecisset, & fecisset egregios, suæq; jam edidisset in Aszaloviensium pædagogio ludimagister laudabile specimen industriæ. Patria STEPHANO nostro ZIKZO, oppidum in superiori Vngaria situm, quod Turcæ olim per bene longum tempus tributarium fœdæ illius servitutis pertæsum, fregit compedes, & pro virili munito loco, defensionem sese accinxit; contra quod anno octuagesimo octavo irafurens Tiha Bassa, decem & sex millium exercitu perrexit, cujus adventum incolæ, non tam animosè expectarunt, quàm inprimis Dei & accolarum subsidio, ita forriter vim propulsarunt, ut ad unum ferè omnes nocte unica hostes, partim cæsi, capti partim devicti sint: qui conflictus initium hodiernæ dedit in Vngaria militiæ. Patre natus est GREGORIO KONIA, cive fideli & viro bono: adhuc, quantum constat, veneranda conspicuo canicie superstite. Matri
ho-

honestæ foeminæ, ante biennium ob Tartarorum accessum ad tu-
tiora quærenda loca coactæ, in fuga præ formidine & terrore ex-
tinctæ, filius hic iusta solvit: Quem septuagesimo septimo anno
parens uterq; puerum, circa id tempus, cum portentosus ille Co-
meta visus, à Turcis abduci tristissimè spectavit, qui insandi plagia-
rii, partim hos antevententium, partim insequentium Christiano-
rum militum fama, maximè verò meteori tam insolentis spectro
perterriti, abjectis armis & spoliis deditioem fecerunt, ubi virtute
Christi, ipsi prædatores mox ingens præda effecti sunt, abreptæ-
que pubes Christiana innumera Mahometi destinata, Christo rur-
sum vindicata, & lamentantibus parentibus reddita. Quæ quo-
tidiana illis locis proh fabula est, ut rectè Vngariam quasi Angari-
am, multiplicibus ærumnis & angoribus exanimatam appellare li-
ceat. Hæc auditu horrenda, visu verò longè tristiora, cò com-
memoravimus, ut dissolutæ vitæ homines à tam sinistro & alieno
proposito avocatos, ad æstimandam auream hanc nostram securi-
tatem, invitarem: postea ut majorem quoque erga Gentem
hanc afflictissimam, aliorum excitarem sympathiam. Hanc suam
scholastici nostri humanitatem & condolentiam, si funus, quod
Senior Vngarorum, Dn. BALTHASAR GOMBOS Miscol-
cinus, conterraneus suus, populares, & ob Gentis consanguinita-
tem Doctor IESSE NIVS, Collega noster, defuncto adornant
honestum, hora quarta ex ædibus Sartoris, Jacobi VVagneri, con-
tra arcem sitis, ad cœmeterium oppidi intestinum, adeoq; Vnga-
rorum tumultum comitabuntur, satis testaturi. P.P. Vitebergæ
Dominica post Trinit. XVII. Anno Christi 1598.



EPITAPHIVM

STEPHANI KONIÆ SIXOVII,
VIRI LECTISSIMI, HVMANISSIMI
& doctissimi, piè in Christo VViteber-
gæ defuncti.

*SIXOVI, ereptum patriæ quem flore sub ipso
Vili Leucoridum cespite velat humus;
Accipe non Phario turgentia pondera saxo,
Qua vanus cineri dat peritura labor:
Sed teneram buxum, sed opacam palmitis umbram,
Quæq; virent lacrumis prata rigata meis.
Hæc tibi do sincera mei monimenta doloris:
Hic cum curriculo temporis exstet honos.
Si mihi fatalem Lachesis perneverit horam,
Non aliter cineres opto jacere meos.*

AUTORE

Matthæo Zubero, Poëta
coronato.



NUMERVS

NUMERUS

PIETATE, DOCTRINA ET ALIIS

VIRTUTIBVS PRAESTANTISSIMORVM

virorum, ex eorum albo, qui ex inclyta gente Vngaricâ, sum-

ma cum laude & fruge, ab anno Salvatoris M. D. XXII.

illustrem V Vitebergensium Academiam, Anno M. D. II.

à Friderico III. Duce & Electore Saxoniae fundatam, sacrae

Theologiae & sinceræ philosophiae discendae causa incolue-

runt, ad currentem usque sanctæ vitam ibidem de-

functorum, prout de nominibus eorum-

dem constat;

Operâ

MATTHAEI ZUBERI

Poetae coronati.

Elegidio vincitus; & Lectori bene-
volo communicatus.



Vid mea Musa velit, titulus praedixit

apertâ

Veri fronte. meus calamus meliore lo-

quetur

Sensus. Pannonicos haec tangunt, inclyta quorum

Virtus signiferum pridem transcendit Olympum;

Multis & verè magnis praecleara triumphis.

Quantumvis verò niteant mundana parumper:

Illâ tamen pereunt subito, ceu fumus & aura.

C

Sicut

Sicut in exemplis istis cognoscere fas est.
 Hic viri positi, gentis magnum decus Hunna,
 Ob sacra Pieridum tempe & penetralia Phœbi
 Perlustranda, choris sese adjunxere novenis,
 Atque hinc Leucoreas peregrè venere sub oras.
 Fortiter in Dryopum castris pugnare solebant,
 Contra pigritiam Venerisq; latentia furtiva.
 Quid fit? in humanis quoniam durable rebus
 Est nihil, AD PLURES coguntur abire: quòd equo
 Mors pede tam magnas arces pulsare suèvit,
 Quàm pulsare casas humiles. tolerare decebit
 Ergò mala hæc, verè qua non mala, sed bona verè.
 Quòd vixere pie: Pietas erit optima merces.

α
 Obiit die
 28. Maii,
 anno Chri
 sti 1571.

β
 Mortuus
 est 13. A-
 prilis, an-
 no Domi-
 ni 1581.

γ
 Nigravit
 ex hac vi-
 ta die 7.
 Octob. an-
 no salutis
 1590.

δ
 Vita defun-
 ctus die 28.
 Nov. anno
 epochæ
 Chr. 1593.

Nomina jam ponam, sed non absq; ordine ponã.
 Mortuus est primus, primã qui sede locatur.
 Ordine sic ibant VVitebergã ad sidera cœli,
 Vngensi MICHAEL & generatus CACHMACUS
 urbe:
 IOANNES β post hunc HERCEGSZÖLÖSIUS
 exit
 Ex vitã: hunc sequitur MICHAEL γ VARA-
 DINUS, amator
 Virtutis. Necdum tribus his mors cruda quiescit
 Abscctis. Et CHRISTOPHORUM δ rapuere so-
 rores.

CEGLEDIUM trina, quæ vitæ stamina rumpunt.

Non adeò pridem STEPHANUS quoque PAN-
NO KONIAS

Vitam cum
morte cõ-
mutavit
die 6. O-
ctob. Anno
à nato Chri-
sto 1598.

SIXOVIVS clausit VVitebergæ lumina in urbe.

Hi nunc in CHRISTO placidè sanctèq; quiescât.

Qui reliqui nobiscum hærent, his vitæ super sit

Longior, ut patriæ possint servire, sibiq;

Gens, quæ naturâ longè est fortissima, et armis

• Aptæ coërcendis, Hunnorum summa meretur

Puncta Quod hæc tenui satis est memorâsse papyro.

Quæ metri virtus admittere noluit, illa,

LECTOR amice, favens Musis, te margo docebit.

REVERENDIS ET CLA- RISSIMIS VIRIS:

Ds. IOHANNI SIDERIO SENIORI, DIOCE-
cesis Abakvvariensis vigilantissimo:

Nec non

D. GEORGIO SZIKZAI, PASTORI
Aszaloviensi fidelissimo:

Carmina isthæc funebria,

Amici & populares defuncti

Offerunt, dicant & consecrant.

Psal. 90. v. 10.

Transitus celer est, & a volamus.

Propertius.

Mors homini comes est, hominem comitatur ut umbra,
Quòdque homo carpit iter, mors quoq; carpit iter.
Ille licet ferro cautus se condat & ære,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

ἄσκησις.

Mors certa est, incerta dies, hora agnita nulli,
Extremam quare quamlibet esse puta.

Bernhardus.

Nihil amplius ex hoc mundo effert dives Cræ-
sus, quàm pauper Irus. Ideo facilè omnia con-
temnet, qui se moriturum esse cogitat.



A 2490

ULB Halle

3

003 485 986



sb

kom



